

לפי הצורך עשאו. לא להכיר ראיה ער הנכואר.
Mosi Magistro nostro non crediderunt Israelita propter miracula, quae patravit. Qui enim propter miraculum credit, ejus cordi adhuc inhaeret dubium, possibile enim est, quod fieri potuerit incantatione & arte magica. Sed omnia miracula, quae Moses patravit in deserto, ob necessitatem fecit, non vero ut fidem conciliaret prephetiae. Sed quamvis concedamus multa miracula etiam in vitæ humanæ usum cedere, neutiquam tamen hunc solitarium eorum finem admittimus, partim, quod Judæi hæc eo tantum scopo dicant, ut Salvatoris miracula enervent, partim quod Magi Ægyptiorum in Mosis miraculis divinum digitum agnoverint, partim denique quod Scriptura Sacra aliud quid aperte doceat. Cum Coræ focii male ferrent, Mosen inter Israelitas principem agere, deque ejus divina missione dubitarent Num. xv 1, 13. Moses respondet vers. 28. 29. Per hoc cognoscetis, quod Dominus miserit me, ad faciendum omnia facta hæc, eaque non esse ex corde meo. Si juxta mortem omnium hominum morientur isti, & visitatio omnium hominum visitabitur super eos, non misit me Dominus. Coraitas itaque, qui Mosis miraculo perierunt, ad demonstrandam prophetiæ veritatem periisse certum est. De Josua DEUS idem affirmavit, cum Israelitis transitum per Jordanem pararet, hodie, dixit ad Josuam, incipiam te magnum facere in oculis universi Israelis, ut cognoscant, quod, quemadmodum fui cum Moise, tecum quoque futurus sim, Jos. III, 7. Idem sentit Josua de illo miraculo vers. 10. dicens: Ex hoc cognoscetis, quod DEUS vivus inter vos sit, qui expulsus est Cananeos &c. ante vos. Ideo enim DEUS fuit cum Josua, ut promissiones Israelitis de ingressu in terram Canaan datas impleret, hostes vinceret, & post diuturnas migrationes quieti restitueret.

§. II.

Est vero transitus Israelitarum super Jordanem ejusmodi miraculum, quod ab aliis extollitur, ab aliis vero imminuitur, & fere ad naturales causas reducitur. Quæ itaque de eodem juxta Ebræi Codicis mentem tenenda sint, ea, qua brevitate fieri potest, exponemus. Josua ipse his verbis illud descripsit: וכבית נשאי הארון עד הירדן ורגלי הכהנים נשאי הארון נטבלו בקצרה המים והירדן מלאת ער כר גדותיו כל ים